

*AD LECTOREM CANDI-
dum, Prefatio.*

EXcubiarum piarum CENTURIAM, Le-
ctor candide, in publicum produco. Hic, si
inscriptionis huiusce causam ex me quaeris,
non est sane quod adeo mirer. Si enim Phor-
mionem Peripateticum Hannibal Pœnorum
fortissimus olim derisit, quod is homo nihil
minus quam militaris, de militia tamen coram
tanto duce, dicere fuisset ausus: quidni & ego
præter rem fecisse videri possem, quod EXCV-
BIARVM manipulos cogere, & Centurionis
partes subire, non dubitauerim? Ut igitur in ve-
stibulo hoc, antequam ulterius ad ipsos copia-
rum ordines progrediaris, paucis me expediam,
calare te non possum, Titulum hunc, & L O C I,
& P R O F E S S I O N I S, & T E M P O R I S,
& forsan N O M I N E S etiam mei consideratio-
nem, libello huic peperisse.

L O C U M quod attinet; viuo hodiè CREM-
PIS vrbe Stormarorum præcipua, quæ hoc tem-
pore, vallo, fossâ, portis, pontibus, & id genus
propugnaculis, egregiè deuo sumtibus Regiis
instaurantur. Ut igitur, discurrentibus Philippi
Macedonis aduentu Corinthiis, Diogenem
Philosophum legimus, dolium suum sursum
deorsum tanto voluisse studio, quanto cæteri
armis satagerent comportandis; ne solus inter

A 4 tot